Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio de lege

Andreä, Jacob

Tubingae, 1572

Dispvtatio de lege

urn:nbn:de:bsz:31-128728

Visual Library

DISPVTATIO
DE LEGE.

QVÆSTIO.

CVm nullus populus in terris vnquã sine lege vixerit, legum autem varietas & dissimilitudo sit maxima, quæ omnium perfectissima sit, inquisitione dignissimum est.

PROPO. 1.

Eam in genere definiunt esse doctrinam, quæ præcipiat quid agendum, quidue omittendum sit.

2.

Quam rectè quoq; in leges Naturales, diuinas & humanas diuidunt.

3.

Etsi enim eadem lex est Naturæ, singulorum cordibus inscripta, quæ lex diuina scripta, illam tamen huius quasi vmbram esse constat, propter Naturę humanæ corruptionem, quam à primis parentibus hausimus.

4.

Eius duę sunt partes, quarum altera ad agnitionem & cultum Dei pertinet, altera verò ad officia proximo præstanda refertur.

5.

Cum enim Natura humana non sit extincta & deleta, sed substantia permanserit, corrupta tamen, ita etiam in ea permansit aliqua notitia Dei, videlicet esse

Deum, æternum, bonum, Sapientem, iustum, quæ
Rom. 1. omnes populos, Apostolo teste, mexcusabiles reddit.

6.

Sic & quod ad Politicam vitam & conuersationem hominum attinet, discrimen honestorum & turpium qualecunq; remansit, quod hominem, conscientia teste, ad hanc legem alligat, nemine dictante. Quæ-
Matth. 7. cunq; volueritis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite eis.

7.

Ad hanc renouandam & expoliendam lex diuina ore Dei prolata est, in monte Synai, legum omnium perfectissima, quia & virtutum perfectio summa docetur, & non modo actiones & cogitatus, cum lege diuina pugnantes, verum etiam ipsa Natura depraua-ta & corrupta damnatur, si maximè nulla actio praua, aut cogitatio iniusta accesserit.

8.

Eius tres potissimum sunt partes, moralis, ceremonialis, & iudicialis seu forensis.

9.

Moralis Decalogi præcepta continet, quibus absolutissimè comprehensa sunt, quæ passim in Propheticis libris de vero Dei cultu, & officijs charitatis pręcipiuntur.

10.

Ea cum sit legis Naturæ expolitio & illustratio, omnes homines obligat, omnium locorum & temporum, diuinæ voluntatis immotæ testimonium.

11.

Cuius triplex est vsus: Primus Politicus, vt hac disciplina

ſciplina coerceantur omnes homines, etiam non renati, de quo Apoſtolus: Iuſto non eſt lex poſita, ſed iniuſtis. 1. Tim. 1.

12.

Alter & is præcipuus renouatæ legis, vt oſtendat peccatum, accuſet, perterrefaciat & damnet omnes homines, in hac Naturæ corruptione, vt de iuſtitia propria deſperantes, alienam in Chriſto iuſtitiam quæramus. Rom. 3. 4. 7. 8. Gal. 3.

13.

Poſtremus ad renatos pertinet, vt doceat certa opera, in quibus Deus vult nos exercere obedientiam. Pſal. 119.

14.

Etſi enim renati, quatenus renati, Spiritu Dei ducuntur, qui lex eſt perfectiſsima, monſtrans quæ facienda, quæ omittenda ſint: tamen cum regeneratio in hac vita non ſit perfecta, & ratio humana, cum non perpetuo regitur verbo Dei, facilè erret, opus eſt non ſolum lege, ſed interdum etiam plagis & pœnis, ſicut ſanctorum exempla docent. Rom. 8. Pſal. 119. 2. Cor. 12.

15.

Qua in parte grauiſsimè errant Antinomi, qui à ratione perfectæ regenerationis argumentati, tertium vſum legis apud renatos prorſus ſuſtulerunt.

16.

Cum enim Natura poſt reſurrectionem radicem peccati depoſuerit, vitium in Natura hærens, omnium prauarum cupiditatum & actionum fontem, tum demum non modo à reatu & damnatione, verum etiam exactione legis liberabimur, ſponte noſtra & liberrimè Deo ſeruientes.

17.

Leges vero ceremoniales ab externo ritu sic appellatæ sunt, quæ ad Sacerdotium Leuiticum pertinebant, quæ à quibusdam in sacrificia Sacramenta, Sacra, & obseruantias diuisæ, verbo Domini exactissimè definitæ & seuerissimè præceptæ sunt. In primis vero cuiusmodi sacrificia, quo loco & tempore à quibus personis & quo ritu sint offerenda, & perficienda omnia, quæ his continentur.

18.

Heb.10. Eas cum Apostolo Paulo affirmamus fuisse Typos & vmbras sacrificij Christi, sicut scriptum est: Lex vmbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem *Col.2.* continet. Et iterum: Quæ sunt vmbra rerum futurarum, corpus autem Christi.

19.

Quarum vsus tantisper durabat, donec nato Chri*Heb.7.9.10.* sto, per oblationem proprij corporis factam, vnico eoq; absolutissimo sacrificio, sanctificaret perficiendos, æterna redemptione parta.

20.

Cuius abrogationis signum fuit, velum templi ab imo vsq; ad summum tempore passionis Christi scis*Matth.27.* sum, quo significabatur, omnibus verè pœnitentibus & credentibus per Christum in sanctum sanctorum aditum patëre.

21.

Dum igitur Iudæi istas ceremonias retinent, non *Matth.15.* Dei præceptum obseruant, sed sua somnia sequuntur, ac Deum in his obseruandis frustra colunt.

22. Magis

22.

Magis peruersè Pontificij agunt, qui dum populo falso persuadent, se sacra à Christo tradita celebrare, vmbram Mosaicarum ceremoniarum introducunt, quibus in nouo Testamento Sacramenta non illustrantur, sed obscurantur.

23.

Vmbra enim de qua Apostolus loquitur, non eam significat quæ cum corpore coniuncta est, eamq; perpetuo sequitur, sed similitudinem à pictoribus desumptam, qui carbone, aut alio vili colore, adumbrare solent, quod postea viuis coloribus exprimunt.

24.

Hinc D. Paulus Iudæos sub ceremonijs legis constitutos, scribit tanquam pueros sub Elementis mundi & in seruitute fuisse, donec per Christum non modo ab his ceremonijs, verum etiam totius legis execratione liberati sunt. *Gal.4.*

25.

Vbi sublato onere plurimarum ceremoniarum, duobus tantum sacramentis, numero, (vt August: verbis vtamur) paucissimis obseruatione facilimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit.

26.

Ex quo colligitur, leges ceremoniales Euangelij fuisse obscuram prædicationem, quæ Christum adumbrarunt, ad quam Prophetarum conciones, tanquam lumen accesserunt, quibus Messiæ sacrificium futurum populo Dei commendatum fuit.

27.

Etsi vero tam explicita non fuit illorum fides,

quam

quam vel Prophetarum vel nostra, eos tamen, quod huius cultus à Deo præscripti obseruantes fuerunt, tanquam pueros saluos factos esse, minime dubitamus.

28.

Quamuis enim (sicut puer qui sub tutoribus est) sua bona non perfectè cognouerint, Domini tamen
Gal.4. & hæredes fuerunt omnium, vt D. Paulus loquitur.

29.

Aug.de ci.Dei lib.7. Cap.32. Hinc D. Augustinus scribit, per quosdam scientes, per quosdam inscientes, id quod ex aduentu Christi, vsq; nunc & deinceps agitur, prænunciatum esse venturum.

30.

Valde autem necessarius fuit harum cæremoniarum vsus, quo populus Iudaicus, ab alijs gentibus & populis, non modo discerneretur, verum etiam in officio retineretur, ne se idolatria gentium contaminaret, & sacra diuinitus instituta, humanis traditionibus non permisceret.

31.

Neq; vero gratiam Dei tantum significabant, vt falso Scholastici Theologi sunt arbitrati, sed ex fide sacramentis vtentibus verè conferebant.

32.

Eadem enim gratia est veteris & Noui Testamenti, remissio videlicet peccatorum, propter solius Christi sacrificium, quod sacrificia veteris Testamenti adumbrabant, in nouo autem completum est.

33.

Verum hanc ipsam gratiam non conferebant sacerdotes

cerdotes ex opere operato, sine fide populi, sed per fidem, qua & sciebant Deum hæc sacrificia præcepisse & hunc cultum Deo probari quo sacrificium Christi tectum erat.

34.

Quæ vt ex fide fierent, solicite legibus ceremonialibus cauit Deus, ne humanis traditionibus misceerentur.

35.

Quibus sacerdotum impietas & auaritia non nocebat, modo iuxta præcepta Mose sacrificia ritè perage rentur, à populo etiam fide implicita, oblata.

36.

Etsi verò his legibus ceremonialibus Christiani non obligantur, non tamen propterea nullum illarum vsum esse censendum est.

37.

Cum enim caput doctrinæ Euangelicæ sit sacrificium Christi in cruce peractum, à quo salus, vita & iustitia nostra omnis dependet, eius fidem nobis collatio sacrificiorum veteris Testamenti confirmat, cum viderimus, quam exacte ijs per omnia respondeat.

38.

Et cum populus sine ceremonijs viuere non possit, earum liberrimum vsum Ecclesiæ suæ reliquit Christus, quæ pro ratione temporum, locorum & personarum et constitui & abrogari possunt, in quantum Ecclesiæ Dei vel prodesse, vel nocere videntur.

39.

Modo ab his opinio cultus & necessitatis procul

remoueatur, ne vel laqueus conſcientijs inijciatur vel in idolatriam conuertantur.

40.

Qui vero ad imitationem ſacrificiorum veteris Teſtamenti, ſacrificium miſſæ introduxerunt, hi pariter & veteris & noui Teſtamenti vim ignorarunt.

41.

Veteris enim Teſtamenti ſacrificia, Chriſti ſacrificium in cruce peractum ſignificaſſe, nemo Chriſtianus dubitat.

42.

Quæ vero gratiarum actionis fuerunt, εὐχαριστικά appellata, in nouo Teſtamento Spiritualia eſſe Apoſtolus docet, vbi nos ipſos & corpora noſtra, tanquam hoſtiam viuentem ſanctam, acceptam Deo & rationalem cultum Deo offerre iubet. Rom. 12.

43.

Leges iudiciales in populo Iſraelitico, erant diuinæ conſtitutiones, quibus ad diſciplinam externam, & publicam pacem ac tranquillitatem conſeruandam, & iudicia & pœnas Magiſtratus ciuilis attemperare cogebatur.

44.

Quas Deus pro natione huius populi rudiſsimi & peruicaciſsimi eſt moderatus.

45.

Eæ de prophanatione nominis diuini, de inobedientia erga parentes, Rixis & de homicidio, de coniugio, Adulterio, ſtupro, de damno facto, de periurio, de ſucceſsionibus & ſimilibus caſibus præcipiebant.

46. Etſi

46.

Etsi vero perfectissima lex Dei fuit forensis quoq;, non tamen Deus alium populum, præter Israelitas, legibus forensibus, populo Israelitico latis, subiecit.

47.

Quæ etiam tantisper durarunt, quamdiu politia Israëlis conseruata fuit.

48.

Postquam vero Iudaicus populus abiectus, & illorum politia euersa est, singulis Regnis & populis permissum est suis legibus vti, modo legi Naturę non sint contrariæ.

49.

Quoniam Euangelium non abolet politias sed concionatur de remissione peccatorum, quæ prædicatio Euangelij propria est.

50.

Hinc D. Paulus: omnis anima potestatibus super eminentibus subiecta sit. Non enim est potestas nisi à Deo. Et D. Petrus subditi estote cuiuis humanæ creaturæ, propter Dominum, siue Regi siue præsulibus. *Rom.13.* *1.Pet.2.*

51.

Sin vero ciuilis Magistratus iniustas leges tuetur, Christiano tamdiu ferendæ sunt, donec ipse non compulsus fuerit male agere.

52.

Quibus verè credentes sese non per seditionem opponunt, sed per piam passionem subijciunt, sicut scriptum est: Famuli subditi sint cum timore *1.Pet.2.*

Dominis, non solum bonis ac humanis, verum etiam prauis. Id enim est gratia Dei, si quis propter Deum suffert molestias, præter meritum affectus malis.

53.

Seditiose ergo agunt Anabaptistæ, qui abolitis constitutionibus ciuilibus, leges Mosaicas forenses Chrstianis propter conscientiam obtrudere conantur.

54.

Cum enim Apostolus Paulus propter conscientiam iubeat obedire cuiusuis loci Magistratui, quem leges constituunt, vtíq; & hoc præcepisset, si bona conscientia iuxta cuiusq; populi leges non liceret viuere. Modo sicut dictum est, legi Naturæ non repugnent.

55.

Neq; enim à legibus politicis, periculum æternæ salutis cuiquam Christiano homini creatur.

56.

Siquidem quæ honestæ sunt, cum lege Naturæ adeoq; diuina consentientes, idem volunt quod Spiritus sanctus iubet.

57.

Quæ vero cum Natura & diuina voluntate pugnant, postquam ea mutare, non est in potestate priuati hominis positum, modo ipse non consentiat, sed eius crudelitatem ferat, ne sic quidem coram Deo reus agitur.

58.

Non enim qui malarum legum iniustas pœnas fert, iniustus est, sed qui eas tuetur, aut se his à via iustitiæ reuocare patitur.

59. Omni-

59.

Omnibus vero legibus, cum diuinis tum humanis, iustificatio coram Deo negatur.

60.

In quo numero etiam lex ceremonialis comprehenditur.

61.

Nam etsi ea ex parte Euangelica concio fuit, tamen cum non ipsam veritatem haberet Christum, cuius vmbra erant ceremoniæ & eminus Christum significabant, non potuerunt homines iustificare, sicut scriptum est. Non potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Qua ratione qui plus sacrificassent, plus etiam Deo reconciliati essent. *Heb. 9.*

62.

Sanguis autē Iesu Christi filij Dei, emundat nos ab omni peccato. Quæ promissio Euangelij, & exhibitio noui Testamenti propria est.

FINIS.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg